


H. Sax. H
38



H. Sax. H
38



ILLUSTRI
SCHOLAE AD MULDAM REGIAE

ORIGINIS SUAE MEMORIAM

EXACTO SAECULO TERTIO

DIEBUS XV. XVI. ET XVII. SEPTEMBRIS A. MDCCCL.

PIE CELEBRANTI

IN COMMUNI LIPSIAE TOTIUSQUE PATRIAE LAETITIA CONGRATULANS

OPTIMA QUAEQUE APPRECATUR

SCHOLA NICOLAITANA.

CECINIT C. F. A. NOBBE, SCHOLAE NIC. RECTOR ET PHILOS. IN AC. PROF. EO.

LIPSIAE,

TYPIS IMPRESSIT CAROLUS GUST. NAUMANNUS.

ILLUSTRI

SCHOLAE AD MUNDAM REGIAE

ORIGINE SIVE MEMORIA

EXACTO SAECULO TERTIO

DIEBUS XVII ET XVIII SEPTEMBRIS A. MDCCCL

PER CENSURAM

IN COMITIIS PUBLICIS FACIENDA CONGRUENTIA

OPTIMO CENSURAE CENSURAE

SCHOLA NICOLAIANA

COMITIBUS N. A. HONORIS, MEMORIAM SIVE MEMORIAM IN A. MDCCCL

LIBRARI

INSTITUTIONE LIBRARIUM QUAE SINGULARI

Salve festa dies, Muldanis splendida Musis,
Quarti quae saeculi lumina prima novas,
Hic ubi dediscit sectari prava iuventus,
Discit stare sua tempus in omne fide,
Incipit et teneris Christum profiterier annis,
Desuper in terras regna vocare Dei,
Ac libertatis desiderioque parentum,
Indulgens genio, iungit amicitias;
Maeonidemque legens altum conscendit Olympum,
Aut Sophoclem sectans Graeca theatra videt,
Nunc stupet Ausonii numeroso carmine Flacci,
Nunc stat, ubi Cicero pertonat ore forum. —

Gaude, Saxoniae tria saecula magistra iuventae,
O Schola, magnifici filia Mauriti;
Gaudia tanta tibi priva virtute parasti,
Palladis innumeros elucubrata libros;
Haud secus ac mater mulcendis prompta tenellis
Per longas noctes invigilare solet.
Tu quot alumnorum coetus labentibus annis
Sustentavisti nectare et ambrosia!
Tu quot saepe rudes pueros in claustra receptos
Cultos misisti mente animoque viros! —

Hi Tibi iam veniunt gratantes undique testes
Et carae matri suavia blanda ferunt,
Hic iterum natos grata se mente fatentur
Vitam felices instituisse novam,
Hic velut Aeolidas inclusos primitus antro
Fallere custodem se studuisse suum,

Sed vidisse brevi, in Muldae praestare recessu,
Quo colerent Musas, otia docta sequi;
Sic disciplinae communia vincla tulisse,
Non alia vita se voluisse frui.
Nam lex, quae vincit, non vis iniusta videtur,
Sed libertati commoda conditio.
Ac si lex dura est, legem bene mitigat usus
Et spes, quae lucro parvula damna levat,
Sic Bacchus prelo spumantia musta coercet,
Mox tamen emittit libera vina cado. —
Heus, quas iam pridem rapuit saevissimus Orcus,
Umbrae etiam testes carmina sacra cient.
Hic bene cordati didicerunt pangere versus,
Quo sua laus stabat tempore Virgiliis,
Nec Maecenatum iussu Romana poësis,
— Quae paucis esset commoda, terga dabat.
Ut non cessabant alis tentare volatum —
Icarus haud ullas terrificabat — aves;
Ut bene Germani pueri, qui nare volebant,
Non formidabant mergere corpus aquis:
Sic tunc Gerhardtii ac Crameri plectra moventes
Audebant sacrae prima pericla lyrae.
Nunc igitur testes redeunt antiqua probantes
Tempora, ubi genuit nomina tanta parens.
„Tunc, aiunt, iacuit radius cum pulvere in umbra,
Tunc ars Archytæ condita delituit!
Sed chorus, ut poterat, componere cantica suevit
Et praeceunte modos psallere saepe duce.
Tunc unam placuit sectandam sumere Musam,
Nec plures furtim prendere adulterio.
Sic est nata fides animi, constantia morum,
Nec Musae ante obitum pectore cessit amor.
Sic data libertas studii ratione sequendi
Discipulis valuit conciliare duces,

Sic pietas iuvenum caris comitata magistris
Grande magisterii saepe levavit onus.
Tunc bene concordēs faciebant otia Musae,
Nec de dividuo tempore livor erat;
Quo vis ingenii sua quemque ferebat in hora,
Hic poterat Musae saepe litare suae,
Dummodo communes sequeretur rite penates
Et coleret Muldae numina Naiadum.
Nemo curabat, quae nerent stamina Parcae
Aut quam forte viam post sibi inire darent;
Totis in Latium tendebant viribus omnes,
Mos erat Urbis et os omnibus unus honos.
Palladis arx, Cadmea aliis aut Sparta placebat,
Orbis et antiquus totus apertus erat.
Prisca viatores et tempora et arva videbant
Ac meditabantur vertere prisca novis;
Extera nec tellus patriae restinxit amorem
Nec patriae linguae damna paravit iter.“ —

Haec laudatores testantur temporis acti,
Verbaque tentantes dicere plura — tacent.
Nam stupor ora tenet; nigra aedes vanuit istic,
Aevo quam veteres incoluere suo;
Vix fidunt oculis, ubi quondam squalida cuncta,
Augustus nuper splendida tecta dedit.
En, nova sunt adiuncta domo musea docentque,
Quantum convertat tempora nostra vapor;
Aut eadem spondent usum, quem flagitat aetas,
Quae vel doctrinas utilitate probat.
Ergone ista domus tantum medicamina miscet,
An mercaturae lauta taberna patet? —

En iuvenes, at non indutos vestibus atris!
Tertia non celebrat saecula profana cohors!
Exsulat hinc Christus, nulla hic commercia caeli,
Hic non iam Latium, Graecia nulla viget!

Territus aspectu veterum chorus ire laborat
In loca, quae manes post sua fata colunt;
At gressus inhibent, arrectis auribus astant,
Aedibus e mediis Graeca Latina sonant. —
Prodit veste nitens iuvenis coetusque salutat
Nomine et umbrarum pellit inire chorum.
Ante aliosque seni redimito tempora lauru
Wunderi fastos dat trepidante manu.
Ille ubi cognovit Germanica verba disertis
Discipuli, nutans omina fausta capit.
Nos, inquit, iuvenes istic habitavimus omnes,
Nos hac tum sacra sede fuisse iuvat.
Si quid praestitimus recteque peregimus aevum,
Christo fidentes imperioque Dei,
Haec laus nulla fuit veteris nisi disciplinae,
Quae pueros fecit religione pios,
Ac docuit, veluti patribus, parere magistris,
Artibus et studiis invigilare suis.
Hanc laudem cecini puer annis ante ducentis,
Quam regis iussu surgeret ista domus.
Si pia vota valent, numquam Schola fruge carebit,
Qua decorat doctos gnava iuventa duces.
Dixit cumque suis abiit Gerhardtus in auras,
Laetus Muldani conditione novi!
Nam nova lege una, qua quondam prisca, probantur,
Semper erit pulchri lex eademque Dei.

